



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conversio Peccatoris, Seu Modus quo Peccator communiter resurgit ad justitiam.

Lefelon, Antoine

Bruxellis, 1675

§. 2. Non omnis inchoata conversio sivè conversionis initium cum
sacramento ad justificationem sufficit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9433

fecerat, ex eo quod justus est, accusat, quâ accusatione suâ Deo inhaerere inchoat, dum rectum contra se judicium proferens hoc in se, quod illi sensit displicere, condemnat.

§. II.

Non omnis inchoata conversio sive conversionis initium cum Sacramento ad justificationem sufficit.

Sed multum fallitur Appendix dum somnem inchoatam conversionem, ac per hoc quaecunque conversionis desiderium æstimat conversionem ad justificationem saltem adhibito Sacramento sufficientem. Conversio enim à fide incipit, qui est primus motus mentis in Deum, & tamen non omnes, qui jam, etiam, ut notat S. Thomas, ex Dei inspiratione credit, à reliquis quoque suis peccatis recedit. Sic inchoatè conversi erant principes illi, qui Salvatori nostro Christo dicti sunt credidisse, sed nondum quantum ad justitiam opus erat, quia adhuc, teste Evangelio, gloriæ hominum quàm Dei amantiore, ut non è Synagoga eji- cerentur, ipsum verebantur confiteri. Verùm, ut hos omittam, illos intueamur, qui jam sese à peccatis suis avertere

2. 2. q. 6.

4. 2. ad 3.

Ioan. c. 12.

vers. 42.

L. 8. Con.
fess. cap. 5.

cupiunt & ad Deum converti: Non pauci id desiderant, etiam qui mortiferis suis cupiditatibus nondum, ut oportet, renuntiant. Talis nondum conversus fuit Augustinus. Ipse enim auditâ per Simplicianum Victorini conversione, exardebat ad imitandum: quod rectum erat approbabat, quod in se iniquum videbat improbat; tamen adhuc, ut ipse dicit, Deo militare recusabat, & timebat omnibus peccati impedimentis expediri. *Voluntas, inquit, nova, quæ mihi esse cœperat ut te gratis colerem fruique te vellem, Deus sola certa jucunditas, nondum erat idonea ad superandam priorem vetustate roboratam.* Illâ novâ voluntate inchoatè conversus jam erat, at tamen non sic conversus, uti ad justitiam oportet, quia adhuc veteri cupiditate obligatus, ut dictum est, Deo recusabat obedire.

Sic & hodiè non rarus peccator est: videre est enim plurimos, quos malefactorum suorum mordet conscientia, delectat bonorum justitia, hanc imitari velent, vitamquè suam commutare atque à peccatis recedere; sed nondum recedunt. Cur istud, citò dico, quia nolunt: à peccatis enim recedere, non aliud est, quàm velle recedere, sed velle fortiter

titer

titer & integrè. Qui ergo id cupiunt & non faciunt, habent voluntatem aliquam, sed nondum sufficientem; habent conversionis suæ desiderium ac per hoc ejus inchoamentum, sed non complementum: vivit enim adhuc in ipsis malo usu roborata peccandi voluntas. Duæ in ipsis sunt voluntates, una vetus, quâ saturandis cupiditatibus suarum desideriis appetunt servire; altera nova, quâ motus suos & appetitus ad legem Dei cupiunt restringere; sed hæc minor est, illa major. Eadem tamen anima volens in utraque; sed quod vult per hanc, respuit per illam, & à quo novâ hac voluntate desiderat recedere, huic illâ veteri adhuc amplius gaudet inhærere. Hinc illa in peccatore lucta, cum consuetas cupiditates suas incipit velle deserere: malam enim voluntatem quam sponte & faciliè concepit, conceptam non facile ejicit. *Qui pedes in rete mittit, ait S. Gregorius, non cum voluerit, ejicit, sic qui in peccatis se dejicit, non mox, ut voluerit, surgit.* *L. 14. mor. cap. 4.* Et alibi: *Antè casum à liberis faciliè peccata vitantur, sed si nolunt vitare cum possunt, postea non possunt si volunt, quia perfectè velle non possunt.* *L. 6. c. 2. in l. 1. reg.*